

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

### **Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum**

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.  
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus  
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot  
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,  
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,  
Cum jndicibus ...

**Gerhard, Johann  
Chemnitz, Martin  
Leyser, Polycarp**

**Hamburgi, MDCCIII**

**VD18 90617819**

Caput CLXXXIV. Judas Osculo Proditorio Christum Hostibus Tradit.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-17617**

CAPUT CLXXXIV.  
 JUDAS OSCULO PRODITORIO CHRISTUM  
 HOSTIBUS TRADIT.

MATTH. 26. v. 48. MARC. 14. v. 44. LUC. 22. v. 47.

RATIO ORDINIS.

**O**nnexio ex textu est satis perspicua. Marcus dicit, quod Judas cum comitatu suo ad Christum veniens *εὐθέως, protinus* ad Jesum accesserit, eumque osculatus fuerit, inde quidam colligunt, osculum Judæ præmittendum esse illis, quæ Johannes commemorat, quod Christus ex hostibus quæsierit, quo fine advenerint, quemve comprehendere velint, illi verò ad unicum Christi verbum retrocesserint, & in terram procubuerint. Sed cum Johannes dicit, Christum hostibus suis *ὀβριᾶν προσέψφε*, ex eo colligitur, sermonem illum Christi &

hostium in terram prolapsum Judæ osculo præmittendum esse. Ita statuunt Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus & Euthymius. Proinde *εὐθέως* apud Marcum vel cum quadam temporis mora accipiendum est, quo modo accipitur Matth. 13. v. 5. Johan. 13. v. 30. vel intelligendum hoc sensu, quod Judas Christo post illud colloquium appropinquans, *statim* eum fuerit osculatus. Atque hæc Historiæ series magis declarat cæcitate hostium Christi, quod divinam ipsius virtutem in sui prostratione experti nihilominus manus nefarias ipsi injiciunt.

PRODITORIUM JUDÆ OSCULUM, QVO CHRISTUM HOSTIBUS TRADIDIT. MATTH. 26.

- 48. Ὁ ἡ δὲ Ἰουδᾶς αὐτὸν ἔδωκεν αὐτοῖς σημεῖον, λέγων, ὃν αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν.
- 49. Καὶ εὐθέως προσελθὼν τῷ Ἰησοῦ εἶπε χαῖρε Ραββί καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.
- 50. Ὁ ἡ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, ἐπῶρε ἐφ' ᾧ πάρε; ὅτε προσελθόντες ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ὅτι τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

- 48. Is verò qui prodebat eum dedit illis signum dicens, quemcumque osculatus fuerit, ipse est, tenete eum.
- 49. Et confestim accedens ad Jesum, dixit. Ave Rabbi, & osculatus est eum.
- 50. Dixitque illi Jesus Amice, ad quid ades? Tunc accesserunt & manus interjecerunt in Jesum & ceperunt eum.

MARC. 14.

- 44. Δεδώκει ἡ δὲ Ἰουδᾶς αὐτὸν σύσημον αὐτοῖς λέγων, ὃν αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν ἀπαργαζετε ἀσφαλῶς.
- 45. Καὶ ἐλθὼν εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ λέγει, Ραββί, Ραββί, καὶ κατεφίλησεν αὐτόν.
- 46. Οἱ ἡ ἔπεβαλλον ἐπ' αὐτόν τὰς χεῖρας αὐτῶν καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

- 44. Dederat autem is, qui prodebat eum, commune signum illis dicens. Quemcumque osculatus fuerit, is est, comprehendite illum & abducite eum.
- 45. Et cum venisset, protinus accedit ad illum, dicitque ei, Rabbi, Rabbi. At deosculatus est eum.
- 46. Illi verò injecerunt in illum manus suas & comprehenderunt eum.

LUC. 22.

- 47. Καὶ ὁ Ἰούδας ἤγγισεν τῷ Ἰησοῦ φιλήσαι αὐτόν.
- 48. Ὁ ἡ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ, Ἰούδα φιλήματι τὸν υἱὸν καὶ ἀδελφῶν σου ἡ δὲ Ἰουδᾶς;

- 47. Et (Judas) appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum.
- 48. Jesus autem dixit illi, Juda, osculo filium hominis prodidis?

DE COAGMENTATIONE CIRCUMSTANTIARUM HUIUS HISTORIÆ.

**V**erba quibus Christus Judam compellavit, Augustinus l. 3. de consensu Evangelistarum c. 5. sic ordinat, quod Christus primò dixerit: *Juda, osculo filium hominis prodidis?* ac postea subjecerit, *Amice ad quid ades?* Sed videtur prius amicè proditorem suum excepisse ac causam adventus rogasse, non quod proditoris consilium ignoraret, sed ut de gra-

vitare sceleris ipsum admoneret. Postea verò cum in prodicionis scelere nefario perseverat ac ab eo revocari nollet, apertè ipsum reprehendit, dicens. *Juda, osculo Filium hominis prodidis?* Num existimas me laterè, ad quid veneris, cur osculum infigas, cuius rei hoc sit signum?

Harmonia hujus Historia.

Ὁ ἡ δὲ Ἰουδᾶς αὐτὸν ἔδωκεν ( δεδώκει ) αὐτοῖς σημεῖον σύσημον λέγων, ὃν αὐτὸν φιλήσω, αὐτὸς ὄντι κρατήσατε αὐτόν καὶ ἀπαργαζετε ἀσφαλῶς. Καὶ ἐλθὼν ἤγγισεν τῷ Ἰησοῦ φιλήσαι αὐτόν καὶ εὐθέως προσελθὼν αὐτῷ λέγει ( εἰπὼν ) χαῖρε Ραββί, Ραββί καὶ κατεφίλησεν αὐτόν. Ὁ ἡ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτῷ ἐπῶρε ἐφ' ᾧ πάρε; Ἰούδα φιλήματι τὸν υἱὸν καὶ ἀδελφῶν σου ἡ δὲ Ἰουδᾶς; οἱ ἡ τότε προσελθόντες ἐπέβαλον τὰς χεῖρας αὐτῶν ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ ἐκράτησαν αὐτόν.

Is verò qui prodebat eum, dedit illis commune signum dicens. *Quemcumque osculatus fuerit, is est, comprehendite eum & abducite eum.* Et cum venisset, appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum & protinus accedit ad illum, dicitque ei. *Ave Rabbi, Rabbi, ac deosculatus est eum.* Jesus autem dixit illi, *Amice ad quid ades? Juda, osculo Filium hominis prodidis?* Illi verò accesserunt & injecerunt manus suas in Jesum & comprehenderunt eum.

Harm. Tom. III. vel Gerhard. Cont. pars quarta.

## Exegetis hujus Historia.

**D**E Joabo memoratur 2.Sam.20.v.9. quod sub fallaci amicitia specie Amasam blandè salutarerit, eumque osculatus fuerit, interim verò gladio quo super tunicam accinctus erat, eum percusserit. Simile quid de Juda in hac pericope refertur, quod itidem sub fallaci amicitia specie Magilstrum suum Christum blandè compellaverit, eumque osculo exceperit, sed interim in manus hostium ad mortem ipsum tradiderit. Partes pericopes duæ sunt. 1. Proditoria Christi per osculum Judæ traditio. 2. Injusta Christi comprehensio.

I De proditore Christi Juda Iscariote Matthæus dicit, quod comitibus suis, quos ad Christum comprehendendum secum in hortum adducebat dederit signum. Marcus vocat σῶσημον *commune signum*, qualia solent esse, quæ à militibus vocantur *Symbola*, quorum alia sunt vocalia, alia verò muta, unde apud Suidam σῶσημαίνεω est *consignare, consignificare*. Idem σύνθημα exponit per σῶσημον velut notius, qualis fere est *tessera* apud Latinos LXX. utuntur pro *ὄν vexillo*, Ela. 5. v. 26. cap. 49. v. 22. c. 62 v. 10. quia vexillum militibus præfigi solet in signum, ad quam cohortem pertineant. Verbum δέδωκεν apud Marcum positum est pro ἐδέδωκεν *dederat* illis signum. Quale vero fuit illud signum? *Quemcumque osculatus fuero, is est, comprehendite eum & deducite cautè.* Christus de facie omnibus, qui in hortum venerant (si fortè excipias Romanæ cohortis milites) erat notissimus, quia quotidie docebat Hierosolymis in templo Joh. 18. v. 20. cur ergo Judas ejusmodi signum illis dederat? Origenes tract. 35. in c. 26. Matth. ex traditione quadam respondet, quod *Christus unicuique apparuit, eâ formâ, quâ quilibet ipsum conspiciere dignus fuit.* Sed hæc traditio est incerta & favet Eutychanis, Marcionitis ac Doctetis. Christus ut assumpsit veram humanam Naturam, ita unam eandemque assumpti corporis formam externam retinuit, quam per clarificationem in monte non abolevit, sed illustriorem & fulgentiorem reddidit. Quidam respondent, id esse factum propter Jacobum minorem, qui Christo in facie fuerit similis, unde etiam dicitur *frater Domini*. Gal. 1. v. 19. Sed hæc traditio itidem est dubia & incerta. Nec propter similitudinem faciei, sed propter consanguinitatem Jacobus dicitur *frater Domini*, cujus consobrinus fuit. Baronius existimat, propterea Judam osculum Domino se daturum in se recipisse, ne noctis tenebris decepti in alium quempiam manus injicerent, qui ad Dominum comprehendendum venerant. Sed per laternas ac faces noctis tenebræ fuerunt satis fugatæ. Quidam existimant, hoc signum adhibitum fuisse propter milites Romanos, quibus Christus penitus erat ignotus. Chrysostomus ex ipso textu veram & propriam causam colligit. *Quemcumque osculatus fuero, inquit, is est, comprehendite eum, & deducite ἀσφαλῶς*, quod est, contractum ex ἀσφαλῶς *firmiter, fortiter & cautè*, sicut obligatio in contractibus majoris fidei causa data vocatur ἀσφαλῶς *cautio*. LXX. utuntur pro כַּחֲסִיּוֹת *in confidentia* Gen. 34. v. 25. Syrus reddidit תַּחֲסִיּוֹת *in timore circumspiciendè*. Quo etiam pertinet verbum κρατήσατε, quod habet significationè fortis

comprehensionis & arctæ custodiæ. Edigitur respicit Judas, quod milites fortiter Christum comprehendere, arctè tenere & cautè abducere debeant, cum Judæis ipsum comprehendere volentibus aliquoties fuerit elapsus Luc. 4. v. 30. Joh. 8. v. 59. se igitur in amplexu & osculo, ipsius tam diu hære velle, donec nihil tale veritus comprehendatur & vinculis arctissimis constrictus captivus abducatur. Videtur etiam Judas hostibus Christi illudere. Cogitat enim, si vel maximè eum comprehendat, ligent ac vinciant, tamen disrumpere poterit vincula, sicut olim fecerat Simfon Jud. 16. v. 12. vel turba ipsi adhærens manibus hostium iterum poterit ipsum eripere. Sed hæc illudis infeliciter Judæ cessit. Deus enim non irridetur, Gal. 6. v. 7. Illudens hostibus suis postea vicissim ab illis eluditur, ipsiq; illuditur, quando ex ipsis audit. *Quid ad vos? tu videris.* Matth. 27. v. 5. probè verò expendendum est illud signum, quod proditor hostibus Christi dederat, ut sceleris sui turpitudinem eodem obvelaret. Osculum in se & ex vulgari veterum consuetudine fuit signum pacis, concordia, caritatis & reverentia. Usitatum enim erat 1. in discessu amantiſſimorum Genes. 31. v. 55. 2. Sam. 19. v. 39. 1. Reg. 19. v. 20. Act. 20. v. 37. 2. in reditu eorum, qui in peregrinis oris vixerant ac diu desiderati fuerant Genes. 33. v. 4. c. 45. v. 15. Exod. 18. v. 7. Tob. 7. v. 3. Alphonſus de castro lib. 4. adversus hæreses verbo Christi hæref. 3. Christi discipuli cum alicunde remeabant ad Christum, osculum ori illius in signum pacis infigebant. 3. in mutua reconciliatione 2. Sam. 14. v. 33. Luc. 15. v. 4. Ac generaliter osculum fuit signum caritatis inter propinquos. Sic Jacobus osculatur patrem Isaacum Gen. 27. v. 27. ac Rachelem suam cognatam Gen. 29. v. 11. Aaron fratrem suum Moſen Exod. 4. v. 27. Arpa suam socrum Ruth. 1. v. 14. 2. August. q. 87. in Gen. *Consuetudinis fuit maxime in illa simplicitate antiquorum, ut propinqui propinquos oscularentur.* 4. in exhibendo ligno consensus in religione & caritatis fraternæ Rom. 16. v. 16. 1. Corinth. 16. v. 20. 2. Corinth. 13. v. 12. 1. Theſſ. 5. v. 26. 1. Pet. 5. v. 14. inde Justinus sub finem Apol. 2. pro Christi. p. 76. refert, osculum in publicis Christianorum conventibus ante sacram. Euchariſtiæ communionem usitatum fuisse. Tertull. lib. de orat. p. 793. osculum vocat *signaculum orationis*, quia publicas & solennes preces solebant osculo concludere. Alph. de castro d. l. de Christi discipulis memorat quod se invicem osculati fuerint in signum pacis & veri amoris. 5. Præter hoc osculum caritatis & concordia; usitatum etiam fuit osculum subjectionis & reverentia; Eth. 5. v. 7. quod etiam pertinet. 6. osculum religionis 1. Reg. 19. v. 18. Pf. 2. v. 12. quod fuit symbolum non solum reverentia; & subjectionis, sed etiam religiosi cultus. Hoc sancto pacis, concordia; & subjectionis Symbolo perfidus Judas ad proditorem suam abutitur & ut Hieronymus loquitur, *dat signum osculi cum veneno Diaboli*, sive ut Rufinus in expos. Symb. apud Cyprianum p. 571. inquit, *per molle osculi blandimentum execrabile proditoris infigit jaculum*, per quod osculum proditorium execrandi sceleris immanitati ingens profecto cumulus accessit. Eadem perfidia amicitia prætextu

prætextu velata animadvertisitur in Joabo, qui duos insignes heroas Abnerum & Amasam fraudulenter illis osculum præbens occidit. 1. Sam. 3. v. 27. 2. Samuel. 20. v. 9. Eadem hodie in orbe passim regnat. Quoties enim cum dolore intueri cogimur, quod multi loquantur pacem cum proximo suo, mala autem sint in cordibus eorum Psal. 28. vers. 3. quorum sermones molliores oleo, blandiores sunt ore quam butyrum, interim tamen gladios in corde abscondunt Psal. 55. v. 22. unde vulgatum est proverbium, mel in ore, fel in corde. Excremur verò hanc serpentinam calliditatem, quæ honesto politices nomine honorari cupit, ac sciamus, candorem veros & sinceros Christianos decere, artes verò illas Simonias ac simulatorias provenire ex Schola Judæ, imò ipsius Diaboli, qui externâ specie hominibus blanditur, sed interim perniciem ipsorum unicè querit, sicut serpens blandam ostentans faciem venenum caudâ insiggit. Caveamus igitur hosce mundi à Satana ad eos impulsos mores, probè expendentibus illud Siracidis cap. 19. v. 19. Calliditas non est sapientia, & cogitatus peccatorum non est prudentia, sed nequitia, stultitia ac insipientia. Cæterum Judæ proditoris perfidiam amulantur & osculo Filium hominis produnt etiam illi, qui simulatâ religionis specie veram Ecclesiam oppugnant & Principibus persequendam tradunt; vel qui exterius solum sanctitatem simulant, cum ipsorum cor interius plenum sit impatientiâ & peccandi proposito, ore suo Deo appropinquant, labiis eum honorant, sed cor ipsorum longè est ab eo, Esa. 29. v. 13. Matth. 15. v. 8. Nos autem ex sincero corde Christum osculemur, Psal. 2. v. 12. ita vicissim osculabitur nos osculo oris sui Cant. 1. v. 1. Ardè ipsum teneamus manibus fiducia, Cant. 3. v. 2. nec dimittamus eum, antequam benedictionem ab ipso impetremus, Gen. 32. v. 26. Denique non caret mysterio, quod osculo caritatis & pacis signo proditur, qui ex caritatis ardore mortem subibat & pacem inter Deum & homines constituere volebat. Ephes. 1. v. 10. Cæterum quomodo Judas signum prodictionis hostibus datum in effectum deduxerit, jam porro videamus. Christus unico verbo totum hostium agmen in terram prostraverat, ut in capite proximè præcedente vidimus. Quid verò hæc evidenti & conspicuâ potentiæ suæ demonstratione profecit? num Judas & ipsius comitatus ab instituto nefario sese revocari passi fuerunt? Sed Judas hæc omnia videns & audiens appropinquavit Jesu, ut oscularetur eum, & protinus accedens ad illum, dixit: Ave Rabbi, Rabbi, ac deosculatus est eum. Vide quæso exemplum horribilis excecationis & obstinationis. Judas sapius à Christo de gravitate sceleris fuerat monitus, viderat effectum divinæ potentiæ in prostratis hostibus ac defensis discipulis, sed nihilominus ut antea excecatus Christum non agnoscebat, ita hoc loco obstinatus proditoris osculum ipsi insiggit. Nimirum hoc solet apostatis evenire, ut defectione factâ longè cæciores aliis fiant & obdurato atque obstinato animo veritatem persequantur, donec tandem in desperationis barathrum prolapsi frustra recordentur admonitionum, quas prius audiverunt. Christus jamdum seipsum hostibus manifestaverat bis repetendo, ego sum, nihilominus tamen accedit Judas & osculo Christum prodit, nescilicet merce-

dem prodicionis suæ amittat. Et quia *Satanas ipsum intraverat* Joh. 13. v. 27. ideo mentem ejus sic fascinaverat, ut perfidiam suam osculo & verborum blanditiis celari posse stolidè sibi persuaderet. Simulat enim, se commiseratione quadam erga Christum duci, quod tantâ armorum catervâ cinctus in captivitatem redigendus & morti tradendus sit, ideo dicit, Ave Rabbi, Rabbi, q. d. ecce hi adsunt, ut te captivum ducant, cum verò non possim auxiliari ideo extremum vale tibi dicere & osculo te excipere volo; ægerrimè quidem abs te divellor, sed furori hostium non possum resistere. Matthæus sic commemorat Judæ verba, χαιρε Ραββι, quæ & salutandi & valedicendi fuit formula, in utroq; enim illud χαιρε fuit usitatum. Odyss. 9. χαιρε πάτερ ὦ ξεῖνε, cui respondet Ulysses: καὶ σὺ φίλῳ μάλα χαιρε, θεοῖ ἢ τοῖ ὀλβια δίδει, ubi est formula salutantis sive salvere jubentis, sicut etiam ap. Xenoph. lib. 7. præd. Cræso salutanti Cyrum, χαιρε ὁ δεσπότη, respondet Cyrus, καὶ σὺ γὰρ ὦ κροῖσσ. In hac salutandi formula etiam in. N. T. alibi usurpatur χαιρε Matth. 28. vers. 9. Luc. 1. vers. 28. 2. Joh. vers. 10. uti etiam 2. Maccab. 9. v. 19. ac posset quidem hæc compellatio Judæ pro salutazione quadam accipi, sicut apud Judæos usitatum fuit amicos in primo adventu osculo statim excipere, sed quia paulò ante Judas à Christo ex cœnaculo discesserat, & cum primis, quia sermones inter Christum & hostes jam antè præcesserant, ideo concinnius pro formula valedictionis accipitur, in qua significatione usurpatur Odyss. 9. χαιρετον ὦ κροῖσσ, Valere adolescentes. Et apud Xenoph. præd. 8. Cyrus longam orationem sic claudit, χαιρετε ὦ φίλοι παῖδες, καὶ πάντες οἱ παρόντες καὶ οἱ ἀπόντες φίλοι χαιρετε. Sensus igitur est, Vale Rabbi, Gute Nacht lieber Proceptor, se jungendi sumus invicem; ideo, quod solum adhuc abicit, extremum valedictionis osculum tibi præbeo. Syrus reddidit רב רב, Pax Domine mi, salvus sis & c. quæ quidem est vulgata apud Orientales salutatio, interim tamen in valedictione & dimissione etiam quandoq; usurpata fuit, ut intelligitur ex Joh. Epist. 3. v. 15. ubi Epistola concluditur hac formula, pax tibi. Et Christo usitata fuit in dimissione hæc phrasis, Vade in pace, Marc. 5. vers. 34. Luc. 7. v. 50. cap. 8. v. 48. Apud Marcum est pathetica repetitio consuetae appellationis, Rabbi, Rabbi, simulat enim Judas præsentis periculo Magistri sese expavefactum ac territum, ideo cum affectu quodam bis repetit, Rabbi, Rabbi, q. d. quid nunc fiet Magister bone! est enim hoc propriam hypocritarum ore ingeminare, Domine, Domine, Matth. 7. vers. 22. Luc. 6. vers. 46. cum interim cor ipsorum sit à Deo penitus aversum. Hypocritis semper est loquacula, ut quod interiori pietati deest, verbis & gestibus exterioribus reponatur & quasi compensetur, sicut Judas patheticæ repetitioni vocis Rabbi conjungit osculum. κατεφιλησεν αὐτον, deosculatus, valde osculatus est ipsum, καὶ enim significationem auget, Luc. 7. v. 38. & 45. c. 15. v. 20. Act. 20. v. 37. ubi frequentiora oscula & complexus arctiores hac voce exprimuntur, in quâ significatione etiam usurpatur Gen. 31. v. 55. c. 45. v. 15. Ex. 4. v. 10. & c. atque emphasis verbi κατεφιλεῖν apparet ex loco illo Xenophontis præd. 7. ἐπιτελέει κύριος κατεφίλην καὶ χάρως καὶ πόδες, πολλὰ δακρυόντες ἅμα χάρσιν καὶ ἐν φρεσὶ ἀνθρώπων. Hæc omnia Diabolicam Judæ hypocritin & perfidiam exaggerant,

rant, quod non fuit veritus commiserationem simulare, amplexari & osculari eum, quem vili mercede conductus juratis hostibus ad mortem tradebat. Hæc traditio fuit Christo admodum acerba, tum quia facta fuit ab uno discipulorum, tum quia signo pacis & amicitia, osculo sc. facta fuit, tum deniq; quia fœdum os proditoris contingere austum fuit mellifluum os Verbi æterni. Voluit autem propter nos etiam hanc passionis partem sustinere. Sanctitatem sæpè exterius tantum simulamus, cum interim in corde abscondita lateat impietas & peccandi propositum, imò hypocrisis nobis omnibus est innata. Ut ergo pœnitentibus etiam hujus peccati remissio contingeret, idè Christus hypocritico & proditoria osculo in manus hostium tradi sustinuit. Veteres monent, osculo, quod est signum caritatis, idè Christum fuisse proditum, quia ex summa caritate pro nobis mortuus est. Jubemur ipsum osculari, Psal. 2. v. 12. in signum subjectionis & reverentiæ, ipse etiam nos osculatur osculo oris sui, quando Spiritus Sancti, qui est Spiritus oris ejus, 2. Theff. 2. v. 8. nos participes facit, Cant. 1. vers. 1. studiose ergo caveamus, ne osculum, quod ipsi reddimus, sit hypocriticum. Caterum huic malo, quod Christus semel in propria persona sustinuit, corpus ipsius mysticum semper est obnoxium, ut falsos fratres ac proditores in sinu suo foveat, atque ab illis gravissimè affligatur, solemur ergo nos exemplo Christi & Spiritu mansuetudinis hostes tractare ab ipso discamus. Hilar. can. 32. in Matth. In osculo Judæ hæc fuit ratio, ut doceremur inimicos omnes, eosque quos sciremus deservituros in nos esse, diligere. Potuisset Christus uno verbo Judam in barathrum inferni præcipitem dare, sed iterum ipsum blandâ quadam severitate admonet, admittit quidem Judæ osculum, non quòd dolosas illas & simulatorias artes approbet, sed ut Beda ait, ne proditorem fugere videatur, neque enim vicissim ipsum osculatur, sed graviter objurgat, sic & nos dolosis osculis non quidem subtrahamus genas, interim tamen ad pœnitentiam illorum autores cohortari non desinamus. Amicè, ad quid ades? Beda admonet, verba Christi, ad quid venisti? duobus modis intelligi posse, vel in forma interrogationis, ut sit vox increpantis & dolentis hoc sensu. Ad quantum malum dejectus es, ut ex Apostolo fieres apostata, & ex Doctore proditor! vel ut per elliptin subintelligatur, per se vel simile quippiam, hoc sensu. Relinq; osculum pacis & imple officium traditionis. Sed neutra explicatio est satis concinna. In græco textu est εἰς τὸ πρῶτον, cuius rei gratiâ huc venisti? Syrus vertit, ob idne est quod venisti locie mi? q. d. hocne illud est propter quod venisti? εἰς αὐτὸν significat eum, qui longo tempore & quidem familiariter eum aliquo die conversatus. Etymol. deducit εἰς τὸ ἡμεῖς, ut sit quasi ἡμεῖς, aut εἰς τὸ εὐχρηστικῶς, quasi εὐχρηστικῶς, ὁ συνήθως φίλος, aut qui ex εὐχρηστικῶς alicui est familiaris, quòd erymon apud Eltath. extat. Demosth. orat. ad Philipp. utitur pro familiari amico. LXX. utuntur pro רֵעִי sodalis, familiaris, proximus. Syrus habet vocem רֵעִי sodalis, collega. Frustra igitur queritur, cur Christus amici nomine perfidum Judam dignetur, qui penitus ab eo defecerat, præterquam enim quòd εἰς αὐτὸν est familiaris quadam compellatio, quâ indignos etiam ac ignotos alloquimur, Matth. 20. v. 13. cap. 22. v. 12. (in-

quâ significatione usurpatur in Epist. Hippocratis ad Damagetum, ubi illi, qui nunquam antea vilis fuerat & de nomine tantum notus erat dicitur, τὸν εἰς εὐχρηστικῶς δὲ ἡμεῖς εἰς αὐτὸν) convenienter dicitur, quòd Christus hac voce triennis conversationis & familiaritatis perfidum proditorem admonerit. Voluit etiam nomine εἰς αὐτὸν aculeum cordi ipsius insingere & extremam ingratitude ipsi exprobrare, quòd ex intimo amico & contubernali factus sit proditor, ideoque remittit eum hac appellatione ad Psalmum 41. v. 10. Etiam vir pacis mee, cui fidebam, qui comedebat panem meum, magnificavit adversum me calcaneum. & ad Psal. 55. v. 14. Tu homo secundum equalitatem meam ἀνδρῶν ἐσὶ ἐμοῦ, dux meus & notus meus. v. 15. qui simul dulcescere faciebamus secretam, ambulabamus in domo Dei conjunctim, hoc est, eramus Collegæ. Quidam existimant, in vocabulo Amice esse ἀντιφρασίν quandam dolorem plenam. Sed comitatu Christi magis congruit, quòd pristina conversationis Judam monere voluerit. Unde etiam statim subjungit, Judæ, osculo tibi um hominis prodis? Nominè Judæ voluit Christus ipsum officii & vocationis suæ admonere, quòd debeat esse confessor & prædicator, non autem desertor ac proditor, ipsiq; in memoriam revocare promissionem Patriarchæ Jacobi de Siloh sive Messia ex tribu Juda nascituro. An non meministi nominis tui, quòd in memoriam Messia ex posteritate Judæ nascituri tibi impositum est? osculo prodis Filium hominis? Instrumento pacis mortem irrogas, servus Dominum, discipulus Magistrum prodis, venenum in fundis osculo, quo gratia caritatis infunditur; osculo, quòd sacra pacis insigne est; osculo, quo amicitia fida firmatur; osculo, quo fides sancta signatur. Osculo eum tradis periculo, quem propter osculi commercium venerari deberes & tradis Filium hominis homo, qui propter hominum salutem descendit de cælo? Ambros. in Pl. 39. Osculo prodis eum, qui est tuus Pater per creationem, tuus Dominus per conservationem, tuus Servator per redemptionem, tuus Magister per doctrinam, tuus iudex per retributionem. Sic ergo non ignota fuit Christo proditoria Judæ hypocrisis, quocumque enim artificio sese tegant hypocritæ, ubi ad Christi conspectum veniunt, in claram lucem ipsorum doli collocantur. Estque singularis φησὶ ἀποστολῆς exemplum, quòd in ipso proditoris actu Christus tam blande compellat proditorem. Si tam leniter tractat Satanæ organum ac mancipium, quanto magis erit benevolus ac mansuetus erga eos, qui ex infirmitate lapsi alitquo præoccupantur. Hebr. 4. v. 15. Aug. tract. 112. in Joh. Si ad eos procedit eosque excipit, qui ad capiendum eum accedunt, non fugiet ab his, qui appropinquant ut obsequantur. Discamus & nos Christi exemplo diligere inimicos, ac pro persecutoribus nostris orare, Matth. 5. v. 44. Ut autem hæc sermo Christi præmonitio parum profuit apud Judam, ita multo minus proficit apud ipsius comites.

Subjungitur enim in posteriore hujus pericopes parte injusta Christi comprehensio. Illi vero accesserunt & injecerunt manus suas in Jesum & comprehenderunt eum. ἐπιβάλλοντες τὰς χεῖρας, vulgatâ Scripturâ phrasi est comprehendere, capere, Mand. anlegen, Luc. 20. v. 19. cap. 21. v. 12. Joh. 7. vers. 30. & 44. Act. 4. vers. 3. &c. Eustathius notat hoc loquendi

quendi genus apud Græcos ex verbis illis Homerici Odyssi. i. manasse *ἐτάροις ἴππ' ἕκρας ἰάλλε* hoc enim *ἔδωκεν ἀφορμὴν* (inquit) *τοῖς ὑστέρων λέγειν ἴππ' ἐπὶ τὸ ἕκρας ἐπέβαλε. Κρατήσας* significationem habet fortis comprehensionis, q. d. totis viribus apprehendere & tenere, ut includatur significatio *κράτης*. Sic ergo lupi famelici irruunt in agnum, latrones diri in Pastorem fidum, filii tenebrarum in æternæ claritatis lumen. Non recordantur pristinorum beneficiorum ac miraculorum, penitus obliteratus est in animis ipsorum manifestus divinæ potentiæ sensus, quem in prostratione experti erant, hærent in laqueis Diaboli, idè cæco fervore atque impetu ex uno peccato in aliud præcipitantur. Vix dum è terra semianimes surrexerant & denuò hostiliter adoriuntur eum, cujus beneficio Spiritum receperant. Ut ergo in Juda exemplum nefariæ perfidiæ; ita in latronibus hisce exemplum crudelis pertinaciæ proponitur. Ostendit autem res ipsa, Christum non invitum nec coactum fuisse ab armata illa cohorte comprehensum, cum uno verbo ac nutu omnes ipsorum impetus ac furores cohibere potuisset. 1. Reg. 13. v. 4. cum Jeroboam Rex Israel Pro-

phetam, à quo idololatriam suam argui ægrè ferebat, comprehendere jussisset, *exaruit manus ejus, quam contra ipsum extenderat, nec valuit eam ad se retrahere.* 2. Reg. 1. v. 10. super quinquaginta milites & Præfectum ipsorum ad Eliam capiendum ablegatos ignis cœlitus descendit, eosq; omnes devorat. Certè Christus illo Propheta & Elia, adeoq; omnibus Prophetis major est, proinde si potentiam suam exerere voluisset, utiq; hostes suos vel igne cœlitus delapso consumere vel manus ipsorum arefacere potuisset, sed erat jam status exinanitionis & tempus passionis, Dei consilium tunc erat, ut *ἡσυχάζοιτο ἡμῶν* pro peccatis nostris pateretur. Captivitas est supplicium enormium delictorum, utpotè furti, adulterii, latrocinii, seditionis &c. Christus hanc pœnam ignominiosam in sese suscepit, ut ab ea nos liberaret, pertulit se ligari tanquam latronem, ut ab infernali captivitate, quam peccatis nostris promeriti eramus, nos redimeret, atque ut captivitatem confessorum suorum sanctificaret, patientiæ exemplo ipsis præiret & reipsa expertus affectum captivorum eo magis ipsis compateretur, quæ omnia latius deduci possunt.

*Oscula, Christe, tibi sponso, non qualia Judas  
Fixit, sed figam basia sancta tibi.*

## CAPUT CLXXXV.

APOSTOLI GLADIO CHRISTUM DEFENDERE  
PRIMUM CUPIUNT, SED MOX AB IPSO TURPITER  
FUGIUNT.

MATTH. 26. v. 51. MARC. 14. v. 47. LUC. 22. v. 49.  
JOHANN. 18. v. 10.

## RATIO ORDINIS.

nnexionis rationem monstrat Jannes verbis Christi, *Sinite hos abire*, subjungens: *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, q. d. cum Petrus videret, Christum uno verbo hostes prosternere & cum autoritate quadam ipsis edicere, ne Apostolos comprehendant, hoc miraculo animatus evaginato gladio in hostes ruit, & Præceptorem suum ex captivitate liberare satagit. Intelligitur autem ex Luca, quòd stragem illam, quam Petrus edidit, præcesserit Apostolorum quæstio, Domine, num percutiemus gladio? sed Petrus animo fervidus non expectato Domini responso gladium suum, adversus hostes vibrat. Hæc connexionis series utilem præbet doctrinam. Quando singularia divinæ potentiæ exempla eduntur atque incolumitas adhuc nobis præstatur, tunc magnos Spiritus atque animos sumimus, etiam vitam pro Christo & Evangelio ipsius ponere parati, sicut hoc loco Petrus mirabiliter uno verbo hostes prosterni videns & salvum conductum sibi ac reliquis impetratum, audiens, armatam cohortem solus adoriiri non recusat, sed cum postea videret Christum captivum, ac ligatum duci, neq; suam velle exerere potentiam ibi animum abjicit, atq; unâ cum reliquis turpi fugâ sibi consulit. Idem affectus est in nobis, hoc est,*

in carne nostra, in pace sumus leones, in periculo lepores, in prosperis tumidi, in adversis nimium timidi, inde Jerem. 17. v. 9. *cor hominis dicitur tumidum & anxium, diversis scilicet temporibus, quia ut est apud Comicum, prout res sese nobis dant, ita fortes atque humiles sumus.* August. lib. 3. de consens. Evang. cap. 5. disputat, Petrum prius percussisse, antequam hostes comprehenderint Christum, 1. quia quamprimùm vidit Christum comprehendit, unâ cum reliquis discipulis fugit. 2. quia si vidisset Christum jamdum comprehensum, non fuisset ausus hostes invadere, sed quia prostratos videt, idè gladium stringit. 3. quia Christus tetigit Malchum & aurem ejus sanavit, quod videtur factum manu nondum vinculis ligatâ. Sed distinguendum est inter comprehensionem & vinculorum injectionem. Comprehensio præcessit percussione Petri, ut ostendit series Historiæ apud Matthæum & Marcum, videns enim Petrus hostes velut canes venaticos in Christum irruere, gladio eos abigere conatus est, sed vinculorum injectio secuta est & percussione & fugam Petri, ut ostendit series Historiæ apud Lucam & Johannem. Porro acris ille sermo, quem Christus ad Pontifices, Seniores ac turbam habuit, *in illa ipsa hora à Matthæo dicitur habitus, dubitari igitur nequit, quin is ad hunc locum pertineat.*

AUDAX